



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput V. Contra Joannem Clericum, aliosque Impostores S. Clemens
Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

& qui Deus in sacris literis nominatur. Ergo dum Patrem solum Deum esse pronunciat, non Filium excludit, sed *Demurgon*, quem Gnostici Mundi Conditorum esse credebant, aliaque profana numina Gentilitatis. Quare eodem modo explicandus est Irenæus, quo exponitur Apostolica sententia Joan. 1. cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*: de qua supra. Est enim Irenæus sui ipsius disertus Interpres eodem libro cap. xv. num. 3. Præceptum autem, ac mandatum creandi mundum, quod Pater dedit Filio idem est, ac ipsum Verbum & Filius Patris, qui natus, & genitus est paterna virtus ac potentia: non enim Pater loqui potest, aut præcipere, nisi per Verbum substantialiter à se indistinctum; alias præciperet & loqueretur ad instar creaturarum, ut subtili disputatione demonstrat S. P. Aug. in Primo de Trinitate cap. 12. Hinc etiam Patres, qui post Nicænam Synodum floruerunt, interdum scribere Filium Dei Patris obtemperare præcepto; nam gignere Filium, qui Divinæ communicatione naturæ est Verbum & jussio Patris, *præcipere* dicitur more nostro. Usurpant hanc loquendi rationem Basilii lib. de Sp. Sancto cap. 16. Athan. contra Gentes, Cyrillus lib. 29. Thesaurorum, alique. A quorum sententia non recedere Irenæum tum ex dictis constat, tum ex ejus scopo. Scribit enim citato loco adversus Gnosticos, qui mundum hunc ad spectabilem conditum ab inferioribus Angelis blasphemabant. Ea erit ergo Irenæi mens, Opificem mundi non fuisse Creaturam aliquam, sed Verbum illud, qui generatione sua Patris *Vox* est, ac *præceptum*.

De ignorantia diei ultimæ dixi lib. vii. cap. xii. ad 2. nec est, cur fiam in *Solutio ult. rior*. tam proluxa de Trinit. disputatione etiam rerum repetitione molestior. Quantum ad præsens attinet, Bullus respondet Irenæum de Christo ut homine fuisse locutum: & arridet plurimum hæc responsio cæteris Protestantibus. Videtur tamen periculosa nisi caute explicetur, cum in Christo fuerit omnis plenitudo scientiæ, in eoque, etiam, ut homine, inhabitaverint Divinæ sapientiæ thesauri. Videtur ergo Patri Massuet, ea loquendi ratione castigari ab Irenæo impudentiam Gnosticorum, qui omnium mysteriorum altitudinem se investigare jactabant: ideoque ad illorum frangendam audaciam docere neque Filium diem judicii novisse, nisi quatenus habet à Patre cum participatione substantiæ plenitudinem sapientiæ; & neminem sibi debere tantam arrogare scientiam, quantam sibi inanis gloriæ captatores audacissime tribuebant. Quæ responsio & vera est, & scopo Irenæi valde conformis: neque video cur displiceat Clerico in Historia priorum sæculorum ad annum c. lxxx. num. xix. Possimus tamen & Bulli, & Massuetii responsionem sic una temperare, ut dicamus Christum ignorasse diem extremam, ut hominem; non quod humanitas Christi arcanorum cognitione fuerit destituta; sed quoniam horum cognitio non præfiscitur ex nativa vi humanitatis, qua Filius minor est Patre, sed ex divinitatis natura, quæ in Patre & Filio una est. Hæc autem responsio & salvat in Christo, ut homine, plenitudinem sapientiæ, & diversas veterum sententias conciliat, & ab Irenæi scopo non videtur esse aliena

CAPUT V.

Contra Joannem Clericum, aliosque Impostores S. Clementis Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.

2. Propugnatur, injuste Clementem Alexandrinum insimulari ut Arianum.

à num. 3. Usque ad 7. Enervantur oppugnationes.

1. Quid de S. Clemente Alex. sentiendum.

QUERITUR Clericus gravem à Caueo illatam sibi injuriam, violatamque æquitatem, quod in dissertatione de Eusebii Cæsariensis Arianismo eum censura ista inurat, inexploratum esse, utrum cum nostri

temporis Arianis, vel Photinianis faciat ipse Clericus. Querelam vero, sive justam, sive injustam, in Epistola prima Critica repellens, primo pag. 3. carpit Pontificios Scriptores, à quibus nihil æqui soleant impetrare, quicunque

ab

ab eorum reſeſſerunt communione. Deinde, ut Caveum elegantiam quidem ſermonis, at non candidam veritatis expoſitionem ſervaviſſe liquido, ut credit, oſtendat; à Clemente Alexandrino orationem orditur, quem Caveus ab Arianismo nititur excuſare. In hac autem parte certe judicium Clerici in Pontificios Scriptores iniquiſſimum eſt; nam etiamſi aut Clemens, aut Eusebius à partibus ſtetiſſent Arianorum, quod de illo ſaltem falſum eſſe arbitramur, non poſſet ſola horum auctoritas Apoſtolicam traditionem evertere: neque hæc de Clementis, & Eusebii Arianismo controverſia talis eſt, qua Eccleſiæ Romanæ dogmata quo quomodo perſtringantur. Etenim Guilelmus Caveus Pontificius Scriptor non eſt: & ex adverſo in Clemente Arianismo oſſacere doctiſſimum Petavium, vidit Clericus ipſe n. 111. ejusdem Epistolæ. Alii inſuper Pontificii Clementem aliqua incaute, & contra fidem hiftoriæ fatentur ſcripſiſſe, atque in tanta omnigenæ eruditionis copia aliquando, quod etiam accuratiſſimis contingit, erraſſe; ut de annis prædicationis Chriſti, de incontinentia angelorum, nævisque iſtiusmodi, quibus nequit fides labefactari. Non video itaque, cur Clericus querelas ingeminet, Pontificios aſide amplecti, non quid verum & æquum ſit, ſed quidquid ad eorum auctoritatem amplificandam exiſtiant poſſe conducere; idque ſcribit in Epistola, in qua agit cauſam Clementis, qui etiam inter Proteſtantes patronos plurimos habet. Ego quidem Divina gratia Pontificius & Orthodoxus tali non mihi videor ingenio: neque invidia in hæreticos, ſed imperitia, ingenique parvitate quamfrequenter erraſſero. At de Clerici in Pontificios Scriptores querimonia jam ſatis: nunc de Clementis Arianismo.

2. S. Clemens Alex. non fuit Arianus.

Probatur.

PROPOSITIO: Injuſte Clemens Alexandrinus inſimulatur ut Arianus. Scripta Clementis, quæ etiamnum extant, ſunt Adhortatio ad Gentes, tres libri Pædagogii, & Stromatum octo, de quibus, inquit Bellarm. de Script. Eccl. nulla eſt dubitatio; quamquam de Octavo non id firmiſſime pronunciaſſerim. Ex his eligam ad Theſis probationem per pauca. I. In Adhortat. ad Gentes de Verbo ait: *Quod revera eſt Deus maniſeſtiſſimus, fons vivificus, & paciſſicus, qui per univerſam terræ faciem diffunditur, per quem effecta ſunt omnia, &c.* II. In 1. Pædagogi cap. 2. declarat idcirco Filium Dei eſſe Pædagogum, id eſt, veritatis magiſtrum, ac puerorum,

qui ſumus nos ipſi, Doctorem & Inſtitutorem, quod *in eum duntaxat nullum omnino cadere poſſet peccatum, ac eſt animo impatiibilis, nullique aſſinis re-prebenſioni.* Atqui illico addit, unius ſupremi Dei eſſe *nullo modo peccare penitus*; cum ſit id optimum, nullique rei creatæ poſſit attribui. Ergo Clemens credidit Pædagogum noſtrum impæccabilem & impatiibilem Deum ſummum eſſe. III. Stromateon VII. probat Chriſtum eſſe Dominum univerſorum, primo quoniam iſ omnium curam gerere debet, in quem neque imbecillitas, neque invidentia cadere poſſit. Tum quia ipſe ſine principio genitus eſt, adeoque impatiibilis. Tercio, quod ignorare nequeat quomodo gerenda eſt cura univerſorum, eoquod Ignoratio Deum non tangat, & ipſe ſit poteſtas ac ſapientia Patris, Verbumque ipſius maxime principale. Quarto quia Verbum iſtud eſt unum principium, à quo creata cuncta dependent, ſummum bonum per ſe amabile, quod ad ſui contemplationem quemque allicit, adducitque. Hæc vero è longiori Clementis oratione in epitomen à me redacta non poterant de ſumma Filii divinitate proferri magnificentius. Poſtremo addam argumentum, licet negativum, non omnino ſpernendum; nunquam Arium ipſius Alexandrinæ urbis germen veneficum, neque alium quempiam Arianorum è ſcriptis Clementis verbum vel minimum protuliſſe: quod non ſolum conſtat ex Rufino in Apologia Origenis, ſed etiam ex Patribus ſingulis, qui in reſellendis hæreticorum illorum argumentis verſati ſunt.

Objeicit Clericus citata Epist. judicium Photii parum Clementi honorificum, quo Cod. cix. Biblioth. notans errores librorum, qui Hypotypoſes inſcribebantur, ſecundo loco iſtum cenſet: *Filium etiam ad creaturæ ſortem deprimit.*

3. Objeſt.

Verum demonſtrandum eſt Clerico libros Hypotypoſeon eſſe genuinos, neque fuiſſe falſatos: quod nos evincimus ex ipſomet Photio. Etenim eodem Cod. inquit: *Alia id genus ſexcenta blaſphema voce nugatur, ſive ipſe, ſive quis alius ejus perſonam indutus.* Deinde Cod. cx. de libris Pædagogii, ait: *Stolidis illis, ac blaſphemis opinionibus omnino vacat.* Et Cod. cxl. in libro VII. Stromateon, ſive Clementis ſit, ſive ex aliis libris collectus, multa, inquit, quæ ibi (in libris Hypotypoſeon) dicta fuerunt, oppugnat. Quare judice Photio fabuloſi ſermones, in quos Hypotypoſeon Auctor dilabitur, non ſunt fortaliſſe Clementis,

4. Solutio.

& si illic in nonnullis haud recte dicere videtur incertus Scriptor, Clemens in genuinis operibus stolidis opinionibus vacat, & Hypotyposeon Blasphemias condemnat. Addendum quod in Apologia pro Origene innuit Rufinus, fuisse Clementis plura ab Arianis interpolata.

5.
Instantia.

At inquit Clericus: Sententiam traditam in libris Hypotyposeon, & quam postea defendit Arius, redolent etiam nonnulla loca, quæ in Stromatum opere leguntur. Sic libro v. Sapientiam, quæ omnia permeat, ait esse *primum à Deo creatam*. Libro vero vii. sic describit Filii substantiam: *Filii natura, quæ est soli omnipotenti propinquissima*. Illa autem propinquitas naturæ diversitatem saltem numericam indicare videtur. Fere eadem Petavius lib. ii. de Trinit. cap. iv. num. 1.

6.
Responsio.

Resp. ad 1. Nisi Arianorum fraude *πρωτόγονος primogenitus*, in *πρωτόκτιστος, primo conditum*, fuit commutatum, Clemens unum usurpat pro altero, quod non est apud veteres inusitatum, licet revera Græci sermonis proprietate *creare* magis consignificet quod *conditum* est, quam *genitum*, & quod ex producentis oritur substantia. Vel de Sapientia accipiendus est, quatenus à principio in rerum creatione ad hominum captum descendit; quo sensu dici *primogenitum* creaturarum notat in Orat. 3. contra Arianos Athanasius. Hinc Clemens Sapientiam appellat *quæ omnia permeat*, egregiam nempe creaturarum connexionem, & productionem. Neque aliter sentire potuit qui eodem libro demonstrat unum esse principium omnium, ingentum, & improductum, *de quo illa vera profluxit opinio, nempe, Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est*. Ac subinde illud unicum universitatis principium affirmat esse Patrem simul & Filium. Hunc vero nominat *ingenitum*,

& infra, *genitum absque principio*, quatenus non est ab alio principio creatus, ut rectissime animadvertit Hervetus. Ac priorem nodum ita solvimus. Secundus facile expeditur, si dicamus, naturam Filii propinquissimam esse Patri, quoniam in utroque est eadem, & una. Priusquam enim Alexandria tanquam dæmonium meridianum Arius nasceretur, Patres innocenter quædam & minus caute locuti sunt, quæ non possint perverforum hominum declinare calumniam; ut docet in 2. adversus Rufinum Apologia S. Hieronymus. Porro hunc esse Clementis sensum ex eodem loco probatur. Mox enim honorifice de Filio scribit: *Dei Filius non divisus, non dissectus, non migrans è loco in locum, sed ubique semper existens, nec ullo modo circumscriptus, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens, potestates potestate perscrutans &c.* Vidit hæc eruditus Petavius, & ait putasse Clementem Filium diversæ à Patre naturæ, sed excellentis & supremo Deo proximæ. At nonne appellat istic Filium immensum, infinitum, omnipotentem, ac Dominum universorum? An non sunt hi supremi Numinis characteres? Sed nutat Petavius hoc loco: & nonnulla deinceps affert ex Clemente summæ Christi divinitatis apertissima testimonia, uti quod habetur in primo Pædagogi cap. 9. *Universorum Deum unum esse, solum, bonum, justum; opificem, Filium in Patre.*

Sunt qui argumento respondent cum Juenin Tom. 3. p. 54. vocem *naturam* ibi à Clemente sumi pro Persona; idque mirum non esse, cum vox græca *οὐσία* eo in sensu nonnunquam ab aliis sumpta sit. Quod non improbo; tamen non habetur hoc loco *οὐσία* vocabulum, sed *οὐσείας*: & utrumque per raro accipiatur apud veteres pro *hypostasi*.

7.
Cautela.

C A P U T VI.

Origenem Adamantium à nota Arianismi vix posse excusari.

S U M M A R I U M.

1. Probatur, Origenem à Labe arianismi vix esse excusabilem.

à num. 2. usque ad 9. Refutantur defensores Origenis.

Quid de Origene sentientium.

LIBER hic Apologeticus non debet in defensionem Origenis contra conscientiam excurrere; neque teneatur ab homine, ejus scripta Sanctissimi Antistites, & Alexandrina, nec non quinta Generalis Synodus rejecerunt,

navos omnes abstergere, atque lavare, ut inquit Aethiopem. Habet ille alios Apologistas, Eusebium Pamphili, Joannem Picum Mirandulanum, Sixtum Senensem, Jacobum Merelinum, Genebrardum, Petrum Halloixium, & non infimi